

Senens., libro sexto Bibl., ann. 248; non designat autem quis ex nostris illum in hoc puncto allegaverit, neque ego novi. Item Jan-senium, Ecclesiasti., 45, et Ekium in Enchirid., capite trigesimo-primo; qui certe in his locis nihil dicunt quod ad causam pertineat. In alio vero ordine, preter alios de quibus jam dixi, in primis adducit Petrum Soto, in Institut. Sacerdot., lect. 9 de Pœnit., quia dicit operationem Dei esse efficacem, et natura priorem in conversione peccatoris. Sed hæc, et omnia que ibi dicit, generalia sunt, possuntque optime intelligi, vel de vocatione congrua et efficaci, vel de operatione qua Deus nobiscum cooperatur; aperte enim declarat esse priorem natura ratione independentiæ, quia Deus a nulla causa pendet, sed alia ab ipso. Addit Hieronymum Perez, sui ordinis virum doctissimum, in Commentar. ad 1 part. divi Thomæ, quæstione decima-nona, articulo seconde, et quæstione vigesima-secunda, articulo primo, secundo et tertio; sed hunc auctorem videre non potui, neque ego scio an scripta ejus typis mandata sint. Quæ tamen ipse refert, valde generalia sunt, ut quod Deo attribuit efficaciam gratiæ, quia non solum attingit rem, sed etiam modum fiendi, et quod prædefiniat actus liberos, et similia, de quibus nunc non est controversia, ut sæpe dixi.

47. Tertio, refert Medinam Complutensem, de quo nihil aliud affert, præter id quod refert Corduba loco supra citato, de cuius sententia jam satis dictum est; nec Medina aliud refert, nisi quod Deus concurrit cum causis secundis per suam voluntatem, quod nemo negat; de modo autem voluntatis et concursus est controversia. Allegat præterea Franciscum a Christo, in 1, distinct. 39, et distinct. 40 et 41; sed in priori loco solum agit de concordia divinæ providentiæ cum libero arbitrio, et refert varias sententias, nihilque satis definit: neutram autem ex his de quibus nunc tractamus in particulari attingit, sed vel in generali contentus est illa responsione communi, quod efficacia divinae voluntatis tanta est, ut effectus, et modos eorum provideat, vel descendendo ad modum particularem magis inclinat in quamdam Gregorii sententiam nostræ valde affinem. In posteriori autem loco tractat de causa prædestinationis, nihil vero de nostra attingit. Denique allegat Cosmam Philiarcum, in quæstione de causa prædestinationis et reprobationis ad Gregor. XIII, a cap. 11 usque ad 45, et lib. 3 de Dogmatibus fidei, cap. 24, ubi docet Deum determinare voluntatem per

auxilium gratiæ, et prius natura. Ille vero auctor, licet de prima conversione id late doceat, præsertim in cap. 41 de Prædestinat., nihilominus expresse dicit in actibus moralibus voluntatis, imo etiam in multis operibus gratiæ, postquam homo est in gratia, ipsum hominem se determinare, et rationem determinationis immediate a voluntate sumi; imo dicit in his actibus voluntatem, cum se determinat, esse priorem natura concursu Dei; solam ergo excipit primam gratiæ acceptancem. In quo certe non consequenter locutus est, nec pro aliqua sententia earum quas tractamus, allegari potest. Magis tamen favet nostræ, quia docet prædeterminationem physicam non esse necessariam ad omnes actus; modum autem specialem quo Deus determinat voluntatem ad primam gratiæ acceptancem, non declarat. Quapropter, si quis velit quæ attulimus attente ponderare, vel auctores ipsos evolvere, facile intelliget nostram sententiam fuisse communem Theologorum consensum, priusquam a paucis modernis in dubium vocaretur.

#### CAPUT XLIII.

TRACTATUR QUÆSTIO APPENDIX, AN PRÆVENIENS  
AUXILIUM SUFFICIENS, ET EFFICAX, POSSINT  
ESSE AEQUALIA IN DUOBUS HOMINIBUS QUORUM  
UNUS CONSENTIT VOCATIONI, ET NON ALTER.

1. *Argumentum capit. —* Probando sententiam nostram, simul fundamenta contrariae sententiae, tam quæ ab auctoritate quam quæ ratione petuntur, dissolvimus; nunc vero duas vel tres appendices quæstiones quæ hic tractari solent, et in lib. 3 de Auxil. a nobis disputatæ sunt, hic addere oportet, tum ad materiæ complementum, tum quia aliquid in eis addendum occurret, quod ad majorem veritatis confirmationem ac declarationem, et aliarum objectionum expeditionem confert. Solent ergo adversari maxime nobis objicere, quod ex nostra sententia sequatur, ex duobus hominibus recipientibus aequalia gratiæ auxilia, contingat unum converti, et non aliud, quod maximum reputant inconveniens. Sequela videtur manifesta, quia, stante eodem auxilio, potest homo operari et non operari; ergo idem homo cum eodem auxilio potest uno tempore consentire, et non in alio; ergo pari vel majori ratione, ex duobus hominibus unus cum aequali auxilio poterit consentire, licet alius dissentiat.

Falsitas autem consequentis solet a dictis auctoribus præcipue probari, quia in eo qui consentit, Deus actu facit ipsum actum consensus, quem non facit in alio: ergo necessario dat illic majus auxilium. Hæc vero probatio divertit a vero sensu quæstionis, et ex æquivocatione procedit, quam ante omnia tollere necesse est.

2. *Distinguitur inter auxilium præveniens et concomitans. —* Primum ergo omnium distinguere oportet inter auxilium præveniens et concomitans, quod est ipsem actualis influxus Dei in actum liberum hominis supernaturalem, qui influxus in re non distinguitur ab actione libera hominis, sed est eadem, ut manans a Deo, ut sæpe dictum est. Hic ergo influxus est in eo qui convertitur, et non in eo qui resistit, unde non sunt aequales, nec esse possunt in auxilio concomitante. Nec refert quod Deus sit paratus ad dandum simile auxilium ei qui non convertitur, et quod per eum stet quomodo illud recipiat; nam hoc non obstat quomodo in alio pertineat ad majorem Dei gratiam recipere actualiter illud auxilium, quo aliis ex negligentia sua caret. Semper igitur qui convertitur habet ex hoc capite majus auxilium, et consequenter majora etiam dona, vel actualia, nam ipsimet actus sunt dona Dei, vel habitualia, quæ ratione actum infunduntur. Unde, ad tollendam hanc æquivationem, et omittendum hoc punctum, de quo non potest esse controversia, quæstionem posui de solo præveniente auxilio, seu de vocatione, in qua punctum est difficultatis.

3. *Consideratur auxilium præveniens. —* Secundo, supponere oportet auxilium præveniens duobus modis spectari posse. Primo, secundum suam entitatem, et vim quam habet ad movendam et trahendam voluntatem, sive illa vis physica sit, sive moralis. Secundo, potest considerari in ratione doni et beneficii gratuitæ; non enim semper hæc duo aequaliter, seu cum eadem proportione alicui rei convenient, sed interdum illud donum, quod in sua entitate absoluta vel minus est vel non majus, in ratione beneficii et doni moraliter existimatur majus propter diversos respectus, maxime vero quia in ea opportunitate datur, in qua vel magis necessarium est, vel majorem fructum homini est allatum. Sic certe contritio data homini in medio vitæ, a qua fortasse postea recedet, vel data in extremo vitæ et cum qua salvetur, non reputatur aequale beneficium, sed hoc posterius multo majus, etiamsi fortasse contritio ipsa nec in intensio-

ne, nec in duratione, nec in auxiliis ad eam necessariis sit major, imo etiamsi sit minor. Ratio autem est, quia beneficium et gratia, sicut etiam misericordia vel eleemosyna, non attenditur solum ex quantitate doni, sicut motione vel auxilium, sed maxime ex affectu dantis, et ex commoditate recipientis, et ex effectibus vel fructibus qui de facto in tali dono, tanquam in semine et in virtute continentur, ut facile posset humanis exemplis monstrari, sed res est per se satis clara.

4. *Asseritur gratiam efficacem prævenientem exceedere prævenientem gratiam, quæ tantum sufficiens est. —* Tertio, supponendum est vocationem, seu gratiam efficacem prævenientem, in ratione gratiæ et beneficii semper excedere prævenientem gratiam, quæ tantum sufficiens est. Hanc assertionem tradidi cum Bellarmino, lib. 3 de Auxil., cap. 20, et probabiliter satis illam suadet testimonium Pauli, 1 Corinth. 4, quod in hac causa maxime obiecti solet: *Quis est qui te discernit?* Nam intelligendo hæc verba de discretione in æterna sanctitate et justitia, inter eum qui convertitur, et cum qui resistit, illam Paulus Deo singulariter attribuit, quod (ut supra declaravi) maxime intelligentum est secundum divinam electionem et præparationem divini auxilii congrui et accommodati; ergo hoc est peculiare beneficium, quod recipit is qui convertitur, et non aliis, pertinetque ad prævenientem gratiam. Atque ita intellexit hunc locum Augustinus, docens plane hanc sententiam in lib. de Prædestinat. Sanctor., a cap. 5 usque ad 16, ubi differentiam in hoc constituit, quod præparatur voluntas a Domino, utique per vocationem congruam, ut aliis locis supra citatis exponit, et specialiter de Dono perserver., cap. 14, ubi docet quod, sicut Deus vocat congruo modo eum quem elegit, ita potuisse præparare opportunitatem similis vocationis ei quem non elegit, et ideo merito ad gratuitam Dei voluntatem, hanc diversitatem revocat, et singulare Dei beneficium esse reputat.

5. *Inæqualitas gratiæ habitualis unde proveniat, ex D. Thoma. —* Quod etiam sentit Prosper ad quartam et quintam objectionem Gallor., et ad excerpta Genuens., cap. quinto, et lib. 2 de Vocab. gent., cap. 23, alias 8; Remigius, 1 ad Corinth. 4. Ac denique divus Thomas 1. 2, quæst. 112, artic. 4, in hoc sensu docet inæqualitatem gratiæ habitualis provenire ex inæquali dispositione, non esse tamen ibi sistendum tanquam in prima radice, quia hæc posita est in diversa præparatione

divinæ gratiæ. Et ideo in 2. 2, quæst. 24, artic. 3, inaequalitatem charitatis reducit in solam voluntatem Spiritus Sancti, utique tanquam in primam radicem, nam in executione etiam est dispositio ex parte hominis ejusque cooperatio attendenda, ut docuit Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 7. Unde idem divus Thomas, Matth. 15, circa illa verba : *Unicuique secundum propriam virtutem, ait: Si queris quare unus habet magis de gratia quam alter, dico, quod hujus rei est causa proxima et causa prima: proxima est major conatus istius quam illius; causa prima est electio divina.* Ratio denique est, quia vocatio efficax est magis accommodata ei cui datur, et in virtute et in semine continet sanctitatem, vel etiam æternam gloriam, si talis sit, ut mediante illa talem effectum consequamur. Unde provenit ex peculiari Dei providentia et gratuita electione, ideoque in ratione gratiæ et beneficii excedit. Quocirca, cum in superioribus ostensum sit neminem credere aut converti sine auxilio efficaci præveniente, manifestum est in eo qui convertitur semper esse majorem gratiam prævenientem, saltem in ratione doni et beneficii, quam in eo qui non convertitur.

*6. Auxilium efficax in quo differat a sufficienti.* — Quarto, manifestum est sepe et fortasse frequentius contingere, ut is qui convertitur majora auxilia prævenientia recipiat, etiam in ratione auxillii et motionis, quam ille qui non convertitur, et similiter, inter duos qui convertuntur intensius et remissius, differentiam sæpius provenire ex pluribus et majoribus inspirationibus divinis. Unde etiam fit, ut auxilium efficax sepe differat a sufficienti, non solum in ratione beneficii, sed etiam in quantitate absolutæ motionis et auxillii, vel saltem in majori et specialiori protectione Dei, auferentis impedimenta, et offerentis occasiones et opportunitates quæ conversionem vel operationem faciliorem reddant. Hece omnia adeo sunt certa et clara, ut non indigeant probatione, nam constat fere experientia. Item in auxiliis externis videmus hanc diversitatem : nam quibusdam prædicatur Evangelium, et non aliis; et in Corozain et Bethsaida factæ sunt virtutes, et non in Tyro et Sidone; ergo eadem differentia et distributione intelligenda est in internis auxiliis, nam ordinarie Deus excitat interius, mediante exteriori verbo, signo, vel objecto. Præterea, sæpe contingit ut, multis æqualiter exterius audiensibus idem verbum Dei, non detur interius æquale lumen, sed diversimode ab Spiritu

Sancto doceantur, ut tradit Gregor., Homil. 30 in Evang. Ratio vero est, quia Spiritus Sanctus est dominus donorum suorum, et singulis dividit prout vult, et quibus majorem gratiam et majora auxilia confert, majorem facit misericordiam; cæteris vero, quibus dat minora, non facit injustitiam, quia majora non debet, et sufficientia non negat, ad quod accommodari potest parabola Matth. 20.

*7. Difficultas. — Discutitur. — Advertendum.* — His ergo existentibus certis, difficultas superest, an semper necessarium sit majus prævenientis gratiæ auxilium dari illi qui consentit, quam ei qui non consentit, non solum in ratione beneficii, sed in ratione motionis physicæ, vel saltem moralis auxillii, vel possit esse uniformitas in toto actu primo, et nihilominus esse diversitas in actu secundo, seu inaequalitas in toto prævenienti auxilio, inaequalitas in solo concomitante auxilio ex parte Dei, et conatu liberi arbitrii ex parte hominis. In quo puncto est multorum Theologorum sententia, necessariam semper esse inaequalitatem in aliquo prævenienti auxilio. Hanc opinionem sequuntur non solum omnes defensores physicæ prædeterminationis, sed etiam aliqui ex nostris auctoribus. Unde sententia hæc in duas subdividi potest. Prior affirmat eum qui convertitur, semper habere præmium auxilium majus consistens in aliqua physica motione per se influente in actum liberum, et necessaria ut eliciatur. Hæc sententia sequitur aperte ex necessitate præmotionis physicæ, et ideo non oportet in particulari referre auctores, quia iidem sunt quos supra pro physica prædeterminatione retuli. Solum aderto solos illos, qui prædeterminationem physicam necessariam esse putant, cogi consequenter ad hoc asserendum; nam qui dicunt esse possibilem, non tamen necessariam, facile possunt, imo et debent admittere non esse necessariam hanc inaequalitatem, quia sine illa motione prævia potest quis consentire, et consequenter, licet de facto consentiat, necessariam non est ut in illa motione supereret alterum qui non consentit, nec in alia, quia nulla alia prævia motio cogitari potest, quæ ad consentiendum sit physicæ necessaria, cum post sufficientem vocationem auxilium concomitans physicæ sufficiat.

*8. Sententia prima.* — Fundamenta hujus opinionis non sunt alia, præter ea quæ pro physica prædeterminatione afferuntur. Maxime vero urgetur illud : *Quis enim te discernerit?* Quia hæc verba in omnibus, et respectu

omnium aliorum qui minora justitiæ dona recipiunt, vera sunt; ergo semper Deus est qui discernit, non solum metaphorice aut morali-  
ter, sed propriissime et physice, quod non potest ut, stante eadem representatione objecti sub eadem ratione convenientis vel disconvenien-  
tis, et eadem mentis attentione, et ex parte voluntatis eadem prævia dispositione, vel habituali, vel actuali, per aliquam imperfectam motionem, affectionem, vel delectationem; et ex parte corporis, eadem vel æquali complexione, et pensatis omnibus eadem promptitudine vel difficultate, ac denique ex parte rerum externarum seu adjacentium, eadem impedimentorum remotione; his, inquam, omnibus æque constitutis, fieri non potest ut unus consentiat, et alius dissentiat, vel quod idem homo nunc resistat, postea velit, non solum in supernaturalibus, sed etiam in moralibus, vel politicis, vel quibusvis ordinis naturalis. Hoc autem principium videtur posse probari a priori, quia voluntas non potest moveri ad volendum vel nolendum, nisi per rationem; ergo, stantibus omnibus paribus ex parte rationis, non potest voluntas aliter et aliter velle, pro suo solo arbitratu. Quod a posteriori confirmatur, primo, quia alias etiam posset voluntas pro suo arbitrio in malum, ut malum, ferri. Confirmatur secundo, quia alias posset sequi id quod malum est et peccatum, nullo existente defectu in ratione, quod vide-  
tur esse contra Aristotelem, 3 Ethic., cap. 4 dicentem : *Omnis peccans est ignorans;* imo, et contra Sapientem dicentem : *Errant qui operantur malum;* et contra D. Thomam, ac fere omnes Theologos, dicentes non posse esse defectum in voluntate, quin præcedat error vel inconsideratio in intellectu. Confirmatur tertio, quia si duo objecta vel media propo-  
nuntur voluntati, et ut æqualia inter se et ut æqualiter considerata, fieri non potest ut voluntas alterum eligat, nisi prius vel intellectus in unum magis intendat, vel aliquam rationem illud præferendi inveniat, quia ad illam electionem necessarium est aliquod motivum, quia non potest voluntas moveri sine motivo ex parte objecti.

*9. Sententia secunda.* — Secunda sententia est aliquorum qui, cum non admittant physi-  
cam prædeterminationem, vel ut necessariam, vel etiam ut possibilem, nihilominus putant semper esse necessarium, in eo qui convertitur, aliquod majus auxilium morale, aut positivum ac per se moraliter concurrens, ut est major mentis illustratio, vel applicatio ad magis attendendum, vel major voluptas et suauitas affectus, aut saltem privativum, nimirum, major impedimentorum aut tentationum remotione. Unde qui sic opinantur non semper requirunt majus auxilium internum, etiam morale, sed vel internum, vel etiam externum, quale esse potest in prædicta remotione impedimentorum, vel in meliori corporis dis-  
positione, magisque apta ad internam attentionem, vel certe in meliori Doctore, et melius suadente, aut aliis similibus auxiliis. Hanc partem ex nostris tenuit Gabriel Vasquez, 1 part., disputat. 98, et 1. 2, disputat. 189, cap. 14, et fortasse aliquos habuit sectatores, ex his qui postea docuerunt; ex illis vero qui scripta sua typis mandarunt, et physicam prædeterminationem non admittunt, nullum alium scio qui hunc dicendi modum fuerit secutus. Fundamentum autem ejus imprimis consistit in quibusdam testimoniis Augustini, quæ generalia sunt in omni sententia, et juxta tertiam suppositionem a nobis positam facile exponuntur, ut ex discursu constabit.

*10. Confirmatur primo. — Secundo. — Ter-*

*tio.* — Præter hæc autem testimonia, magis fundatur in principiis philosophicis quam Theologicis. Nimirum, quia fieri non potest ut, stante eadem representatione objecti sub eadem ratione convenientis vel disconvenien-  
tis, et eadem mentis attentione, et ex parte voluntatis eadem prævia dispositione, vel habituali, vel actuali, per aliquam imperfectam motionem, affectionem, vel delectationem; et ex parte corporis, eadem vel æquali complexione, et pensatis omnibus eadem promptitudine vel difficultate, ac denique ex parte rerum externarum seu adjacentium, eadem impedimentorum remotione; his, inquam, omnibus æque constitutis, fieri non potest ut unus consentiat, et alius dissentiat, vel quod idem homo nunc resistat, postea velit, non solum in supernaturalibus, sed etiam in moralibus, vel politicis, vel quibusvis ordinis naturalis. Hoc autem principium videtur posse probari a priori, quia voluntas non potest moveri ad volendum vel nolendum, nisi per rationem; ergo, stantibus omnibus paribus ex parte rationis, non potest voluntas aliter et aliter velle, pro suo solo arbitratu. Quod a posteriori confirmatur, primo, quia alias etiam posset voluntas pro suo arbitrio in malum, ut malum, ferri. Confirmatur secundo, quia alias posset sequi id quod malum est et peccatum, nullo existente defectu in ratione, quod vide-  
tur esse contra Aristotelem, 3 Ethic., cap. 4 dicentem : *Omnis peccans est ignorans;* imo, et contra Sapientem dicentem : *Errant qui operantur malum;* et contra D. Thomam, ac fere omnes Theologos, dicentes non posse esse defectum in voluntate, quin præcedat error vel inconsideratio in intellectu. Confirmatur tertio, quia si duo objecta vel media propo-  
nuntur voluntati, et ut æqualia inter se et ut æqualiter considerata, fieri non potest ut voluntas alterum eligat, nisi prius vel intellectus in unum magis intendat, vel aliquam rationem illud præferendi inveniat, quia ad illam electionem necessarium est aliquod motivum, quia non potest voluntas moveri sine motivo ex parte objecti.

*11. Concluditur a Vasquez.* — Hinc ergo concludit hic auctor, idem necessario dicendum esse in operibus gratiæ, quando unus vocationi consentit, et alius dissentit, nimirum aliquam inaequalitatem præcedere in eis, quæ ad gratiam prævenientem necessario debet pertinere; quia cum præcedat consen-  
sum, non potest tribui homini; ergo soli Deo ejusque peculiari providentia; cumque illud,

quidquid est, quod ei qui convertitur antecedenter datur, ad supernaturalem consensum prestandum ordinetur et juvet, sine dubio ad auxilia gratiæ prævenientis pertinet; ergo, ex aliquo capite, semper auxilium præveniens majus est in eo qui consentit, quam in eo qui resistit. Et ad hoc confirmandum, induci possunt testimonia quæ in disputat. 98, cap. 3, Vasquez allegat, in quibus Deus dicitur aliquibus baptizatis, *quod licet interdum æqualem gratiam percipient, non æqualiter illa utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest.* Et quamvis verum sit præcipue loqui de gratia habituali et sacramentali Baptismi, tamen, quatenus inæqualitatem postea tribuit libero arbitrio, necesse est ut in omni gratia prævia necessaria ad operandum, æqualitatem supponat. Unde idem D. Thomas, Matth. 23, in illa verba: *Unicuique secundum propriam virtutem,* dicit proximam rationem inæqualitatis gratiæ esse diversum conatum liberi arbitrii, licet prima causa sit divina electio. In quo etiam sentit non esse necessarium ut, secundum ordinem excitationis, illa inæqualitas ex inæquali auxilio præveniente proveniat. Pro eadem sententia citavi, in libr. de Auxiliis, Bonaventuram, in 4, distinct. 16, part. 2, art. 4, quæst. 1, ubi aperte de charitate dicit, *intendi quantum ad fervorem, et augeri quantum ad essentialiæ virtutem, id est, quantum ad actum, vel quantum ad habitum;* et primum, ait, a cooperatione liberi arbitrii, secundum vero est a dono cœlesti, nimurum, quia habitus a solo Deo intenditur; ex quo elicit, etiam motum contritionis ferventiorum esse posse ex cooperatione liberi arbitrii, et addit: *Unde ex æquali gratia aliquando magis fervens elicetur motus, aliquando minus, secundum cooperationem liberi arbitrii;* addit vero proprium augmentum fieri in ipsa virtute pœnitentiæ, et illud fieri per gratiam, sicut de charitate dixerat. Expressius et latius punctum attigit Altisiodorens., libr. 2 Summ., tract. 2, cap. 3, et aperte docet, inter duos æque tentatos, quorum unus resistit, et non aliis, non esse necessariam aliquam antecedentem inæqualitatem intervenire, sed libertatis dominium sufficere. Idem ex professo docet Dionys. Cisterciens., 2, distinct. 27, artic. 3, ubi eamdem doctrinam tradit de agente libero, et putat sequi necessario ex definitione potentiae liberæ; et in conclus. 3, id explicat etiam in actibus supernaturalibus, qui procedunt a duobus voluntatibus habentibus æquales habitus charitatis cum omnibus aliis prærequisitis æqua-

12. *Assertio, vocationem efficacem seu congruam non semper exceedere vocationem sufficientem.* — Nihilominus contrariam sententiam veram esse credimus, et necessario consequentem ad eam quæ hactenus docuimus de gratia efficaci, quod ex se non sit ita efficax, ut sua vi, sive physica sive morali, determinet voluntatem omnino, id est, ita ut non possit voluntas ei resistere. Dicimus ergo vocationem efficacem seu congruam non sem-

per exceedere vocationem sufficientem, in aliquo dono prævenientis auxillii, sive physice præmovente, sive moraliter, sive interiori, sive exteriori, sive positive inclinante, sive removente prohibens. Hanc assertionem docuerunt multi Theologi. Et ex antiquis possumus imprimis referre D. Thomam, 3 part., quæstionem 69, artic. 8, ad 2, dicentem de aliquibus baptizatis, *quod licet interdum æqualem gratiam percipient, non æqualiter illa utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest.* Et quamvis verum sit præcipue loqui de gratia habituali et sacramentali Baptismi, tamen, quatenus inæqualitatem postea tribuit libero arbitrio, necesse est ut in omni gratia prævia necessaria ad operandum, æqualitatem supponat. Unde idem D. Thomas, Matth. 23, in illa verba: *Unicuique secundum propriam virtutem,* dicit proximam rationem inæqualitatis gratiæ esse diversum conatum liberi arbitrii, licet prima causa sit divina electio. In quo etiam sentit non esse necessarium ut, secundum ordinem excitationis, illa inæqualitas ex inæquali auxilio præveniente proveniat. Pro eadem sententia citavi, in libr. de Auxiliis, Bonaventuram, in 4, distinct. 16, part. 2, art. 4, quæst. 1, ubi aperte de charitate dicit, *intendi quantum ad fervorem, et augeri quantum ad essentialiæ virtutem, id est, quantum ad actum, vel quantum ad habitum;* et primum, ait, a cooperatione liberi arbitrii, secundum vero est a dono cœlesti, nimurum, quia habitus a solo Deo intenditur; ex quo elicit, etiam motum contritionis ferventiorum esse posse ex cooperatione liberi arbitrii, et addit: *Unde ex æquali gratia aliquando magis fervens elicetur motus, aliquando minus, secundum cooperationem liberi arbitrii;* addit vero proprium augmentum fieri in ipsa virtute pœnitentiæ, et illud fieri per gratiam, sicut de charitate dixerat. Expressius et latius punctum attigit Altisiodorens., libr. 2 Summ., tract. 2, cap. 3, et aperte docet, inter duos æque tentatos, quorum unus resistit, et non aliis, non esse necessariam aliquam antecedentem inæqualitatem intervenire, sed libertatis dominium sufficere. Idem ex professo docet Dionys. Cisterciens., 2, distinct. 27, artic. 3, ubi eamdem doctrinam tradit de agente libero, et putat sequi necessario ex definitione potentiae liberæ; et in conclus. 3, id explicat etiam in actibus supernaturalibus, qui procedunt a duobus voluntatibus habentibus æquales habitus charitatis cum omnibus aliis prærequisitis æqua-

libus. Nam ex sola libertate, ut ait, potest unus actus esse intensor, et aliis remissior, et eadem ratione potest ab una esse aliquis actus, et ab altera nullus, quia libertas utrumque æque complectitur.

13. Praeterea ex modernis Theologis, allegavi in libr. de Auxiliis Sotum, libr. 1 de Natur. et grat., cap. 16, et Vegam, libr. 6 in Trident., capite nono, quos etiam Vasquez citat, et addit Joann. a Bonon., opuse. de Liber. arbitr., § Ex suis autem, dicentem in hac quæstione de duobus quorum unus convertitur et non aliis, sufficientem rationem esse, *quia sic unus visum est, et non alteri.* Allegavi praeterea Ruardum, quem Vasquez supra, num. 35, pro suo sententia allegat, nec sine aliquo fundamento, nam varie loquitur, et in utramque partem trahi potest; existimo tamen nostræ favere sententia. Nam, art. 7, decimam assertionem ponit hujusmodi: *Quod ex similiter tractis, et interiori in corde vocatis, unus credit et convertitur, et aliis manet incredulus, nec convertitur, contingere potest ex sola arbitrii divinitus præparati libertate.* Et rationem addit, *quia, positis omnibus quæ præcedunt, et requiruntur ad fidem et conversionem, libera manet voluntas, nec inducitur necessitas se determinandi ad sequendam vocationem.* Postea vero, in discursu assertioni, ad illam explicandam querit quid addat vocatio a proposito, quæ effectum habet, vocationi communii, quæ consensum non persuadet, et respondeat: *Videtur quod sit aliquis modus, rel ablatio impedimenti, rel simile aliquid, quod non est in alio, et plerumque ob ejus culpam et negligentiam, et quod obscurius est,* addit: *Ex sola enim Dei ordinatione inspirationes vim quamdam intentionalem accipere possunt.* Unde videtur tacite limitare assertiōnem, nimurum, quod in internis inspirationibus potest esse æqualitas, semper tamen aliquid amplius sit in vocatione congrua ex ablative impedimentorum. Sed hæc expositiō destruit assertiōnem; sic enim non similiter trahuntur illi homines, quia magna pars tractionis est ablative impedimentorum. Et similiter repugnat his quæ in septima et octava assertione docuerat. Et ideo existimo in assertione explicasse Ruardum, id quod per se ac simpliciter necessarium est, postea vero declarasse modum qui frequentius servatur, et qui fortasse non pertinet ad solam gratiam prævenientem, sed aliquam concomitantem includit, ut paulo post explicabo, posterioris sententia fundamenta solvendo.

14. Allegavi praeterea Driedonem in libr.

de Captivit. et redempt. gener. human., tract. 4, cap. 2, part. 5, conclus. 5, quæ talis est: *Quemadmodum ex duobus æqualiter justis, contingit alterum libero arbitrio a gratia deficere, consentiendo desideriis, alterum eodem arbitrio innovo Dei auxilio perseverare, sic ex duobus adhuc impiis, æqualiter indignis, æqualiter divinis instinctibus pulsatis, aut admonitis ad fidem vel pœnitentiam, contingit alterum non reluctare, sed locum dare pulsanti Deo, alterum vero resistere.* Quam assertiōnem postea declarat, nihil omnino limitando, vel addendo. Nihilominus tamen P. Vasquez eudem Driedonem pro sua sententia allegat in eodem opere et tractatu, *in capite (inquit) quinto, ad ultimam confirmationem secundi argumenti.* Sed tractatus ille non habet caput 5, et licet locum diligenter quæsierim, non inveni, et ideo judicium de illo proferre non possum. His addemus Stapletonium, libr. de Grat. et liber. arbitr., cap. 8, ubi etiam ex Augustino eamdem sententiam refert. Latus et optime docet eamdem sententiam Cunerus, libr. de Liber. arbitr., cap. 9 et 10, ubi Driedonem et Ruardum allegat atque approbat. Quia vero Ruardus dicit *ex sola libertate voluntatis a Deo præparata posse hoc discernere inter æqualiter vocatos evenire, ipse temperat particulam sola, seu explicat positam esse ad excludendam specialem ac novam motionem præviā, quæ detur illi qui consentit; non tamen ad excludendam divinam cooperatiōnem gratuitam, que simul (inquit) cum ipso voluntatis opere incipit et desinit.* Eamdem sententiam tradit Orantius in locis Cathol., libr. 1, cap. 37, ubi inquit: *Si interrogas cur ex duobus vocatis, unus convertatur, et non aliis, liberum arbitrium in causa fuisse, cum Augustino, Hieronymo, Chrysostomo et universa Ecclesia dicam.*

15. *Ex Patribus.* — Secundo, principaliter probatur hæc sententia auctoritate Patrum, nam frequenter, dum tractant quæstiōnem, cur Dei gratia in quibusdam effectum consequatur, in aliis vero minime, rationem ex parte liberi arbitrii reddunt, asserentes in utrisque nihil ex parte Dei deesse, et plerumque illis gratiæ auxilium æqualiter offerri. Ita Gregorius Nyssenus, in Orat. Magn. catechum., cap. 30, et inter alia dicit potuisse homines conqueri, si alii vocarentur, alii expertes essent vocationis: *Si autem (ait) pariter ad omnes procedit vocationis, non est quo Deum accusent, etc.* Et infra diversitatem inde oriri dicit, quod Deus aliquid in hominis potestate dimisit: *Hoc autem est*